

ramento in nos omnes regnat, cuius voluntas semper  
justissima est & imperium æquissimum.

XXXI.

Nec Pontificem Romanum ipsum, cui immensa à Canonistis tribuitur potentia, de absolutâ potestate ardua sine Cardinalibus explicare posse; ejusque acta gesta in-  
gravioribus negotiis, semotis Cardinalibus rata non ha-  
beri, ex historiis constat.

XXXII.

Quemadmodum ergo non sine justâ & urgentissimâ causâ capitulatione ita provisum Imperio est, ita nec sine maturo consilio idem in Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, Sueciæ aliisque regnis observari docet Ampliss. Dominus Præses in *disput. de veët. §. 14.* & Klock. *de contr. c. 4.* Interveniente enim populi voluntate & assensu crescit robur & potentia Regum, & major est ipsorum autoritas, & feliciores sunt progressus, auctore *Comineo. l. 5.* Aliquo sanè respectu consiliorum adhibitionem jus majestatis non imminuere sed felicitatem Imperii promovere, Imperatores rescripserunt, in *l. human. C. de legibus.*

XXXIII.

Et sane morem hunc, ne scilicet in consultis aut invitis ijs quorum interest tributa Rex imperet omnino existimo sanctissimæ æquitatis plenissimum. Ideoque tutissimum in populo in primis libero est, ut Principes convocatis proceribus in publicis comitiis causam pecuniariam proponat, discutiat, & concordibus suffragiis & accedente subditorum consensu rei pecuniariæ expediendæ incumbat. Hac sanè ratione omnem sinistrae opinionis suspicionem ac reprehensionem effugiunt, populi animos delinunt & amore subditorum tanquam firmissimo munimento